I. MERCVRIVS REDIVIVVS, *SEV* 6

MODVS CONFICIENDI LAPIDEM PHILOSOPHICUM tàm album, quàm rubeum è Mercurio.

Olim à

SAMVELE NORTONO BRISTOLLENSI inchoatus:

Nunc verò

editus opera & ſtudio

EDMVNDI DEANI ANGLI MED. D. Eboracenſis Medici, auctior & perfectior.

CVI ACCESSIT MODVS FACIENDI Vtrumq; Fermentum tàm album è Luna, ſiuè argento, quàm rubeum è Sole, ſiuè auro.

Clangor Buccinæ.

EXTRAHE ARG. VIVVM, SEV LAPIDEM Philoſophorum tàm à corporibus, quàm ab Arg. viuo, quoniam vnius ſunt naturæ, & habebis Mercurium, & Sulphur de illa materia ſuper terram, de qua aurum, & argentum generatum eſt in terra.



FRANCOFVRTI,
Typis Caſpari Rötelij, Impenſis Guilielmi Fitzeri,
Anno M. D C. XXX.



VIGILANTISSIMO PRÆSVLI,
ET REVERENDO PATRI,


GVLIELMO EPISCOPO LONDINENSI, REGII SACELLI DEcano, & Consiliario Regio Edmundus Decanus perennem præcatur incolumitatem, & opusculum hoc dedicat.

Venerande Antistes,


NON est, quòd miretur quispiam, hæc cùm à me viderit tibi iam tandem aliquando animi dicari studia, tuæ cum virtuti auebam semper ego non me solùm, sed quæ mea sunt consecrari singula. Nec metuendum est mihi, ne pignus hoc amoris & officij tanquam ingratum quiddam obiiciatur oculo, quod iam iam (me iudice) mirificè gloriatur in patrocinio. Chymicam, quam vocant artem, honorandam plurimùm, sana duxit antiquitas: progenies verò oculata minùs, nullis non ignominiæ notis afficit, ipsęque arti id vertit vitio, quod quidem magis conuenit malè affectantis animo. Tractatulus enim si quis forsan proiiciatur in vulgus, ambabus statim amplectuntur vlnis, accingunt se ad opus, adeò mirificè Aurum, quod somniant, inhiantes, vt modum, quo acquirant verum, nec curant ætatis improbi, ita nec callent artis imperiti. Non est, crede, vnius diei, nec cuiusvis homuncionis Corinthum hanc adire Philosophorum. Frequens haud sufficit Authorum lectio, qui si vspiam se præbent Spinosos, hîc (ausim dicere) adamantinos : nulli

profectus contigit auspicatus, qui non ænigmatum studiosè celat sub velaminibus, vt libros consulturus, oracula iudicet per ambages lector citiùs, quàm artis documenta seriùs. Hæc cum apud me cogito, putaui mea interesse, nec interesse tantùm, at oportere ea sine fuco, & sincerè edere, quorum indagatione sedulam navari operam. Quo facto, non solùm Ars ipsa (mediusfidiùs) celeberrima improborum vindicetur calumniis, sed & artis genuina proles impostorum dignoscatur suppositiitiis. Habes itaque (Reuerende Præsul) Lapidis tàm albi, quàm rubei è solo Mercurio facti verum processum; opus, quod nôrunt eruditi, operosum maximè, imò & difficillimum in tota arte Chymica. Ast cum vtilitas nulla Lapidum absque vera fermentatione, vsusque nullus, vtrumque eorum fermentum tempestiuè adhibuimus; quo fit, vt non solùm hi duo, sed omnes etiam alij, è quocunque metallo producti, in Elixera transeant magna & spiritualia ad compositionem perfectam Lapidum philosophicorum. Parum est, quod iam restat (grauissime Præsul) nisi vt hilari (qua Soles) fronte accipias, quod obseruantiæ, & officij ergò munus offero, vt sub fauoris tui Clypeo requiescat, placidè, quod sub nominis tui patrocinio hucusque militauit strenuè.

Arbor philosophica generalis seu universalis, indicans præparationes corporum tàm perfectorum, quam imperfectorum.



Tabula, ſivè Ramus Arboris Philoſophicæ de Elixere albo è ſolo Mercurio.



Qui

QVi ex Arg. viuo, vel Mercurio ſolo poterit Lapidem compone- re, erit ſagator maximus ſapientiæ, & artis: quia in Mercurio eſt totum illud, quod quærunt ſapientes. Nam Arg. viuum eſt omnium metallorum mater, & ſperma, & materia propinqua; nec ſolummodò eſt ſpiritus, ſed etiam corpus; eſt etiam media natura; eſt ſulphur etiam, & Mercurius tingens. Moritur & oritur, cùm in propriis ſuis configitur elementis. Quare imprimis neceſſarium eſt, vt à ſordiditate ſua purgetur. Mercurius. Arg. viuum.

Purgatio, ſiuè purificatio eius fit hoc modo. Super marmore benè teratur, vel in vaſe ligneo cum piſtillo etiam ligneo cũ ſale communi, & modico aceto ſuper aſperſo, donec ſal conuertatur in nigrum colorem. Tunc benè lauetur cum aceto, & leniſſimo igne, aut ſolis calore deſiccetur. Deindè deſtringatur aut per pannum nouum duplicem, aut per nouam crumenam ex ouina pelle factam, donec benè deſiccetur, & acetum ab eo deſtringatur, ac donec ſit coloris albi, & clari. Purgatio.1.

Sublimatio eius ad hunc modum fiat. Teratur ſuper marmor cum modico Mercurij ſublimati, cum quo incorporetur, & mortificetur. Poſteà cum æquali parte ſui ponderis, & ſalis petræ, & cuperoſæ viridis, donec benè impaſtetur. Deindè impone omnia ſimul in Sublimatorium vitreum, & ex cineribus ſublimetur totum Arg. viuum, vt ſit album & clarum in capite Alembici, ſicut nix. Iterùm ſublima, aut ſæpiùs, vt fiat purus Mercurius Sublimatus. Sublimatio.2.

Calcinatio eius fit in vaſe partitionis hoc modo. Imponatur libra vna huius Mercurij ſublimati in duas libras aquæ fortis communis, & fiat paulatim per duas vncias ſemel, donec totum diſſoluatur, vti Saccharum in vino. Poſteà vas obturetur, & ponatur ad ſolutionem in balneo per 10. dies. Deinceps abſtrahe aquam corroſiuam per Alembicum in calidiſſimo fimi gradu, vel in balneo lento, & Mercurius in fundo remanebit albi coloris, ſicut butyrum. Et hoc modo Mercurius calcinatur per ignem corroſiuum, vt loquuntur Artiſtæ. Calcinatio.3.

Exuberatur ſi Mercurius dictus calcinatus ponatur in cucurbitam lapideam, cui addatur Alembicus, & in cineribus cribratis eleuetur tota ſubſtantia ſoluta ter. Quæ tunc erit albedinis pulcherrimæ; & dicitur Mercurius exuberatus. Exuberatio.4.

De

Fixatio in Aquilæ gluten, 5. De quo, cùm habueris duas, vel tres libras, ferua tertiam partem, & illam fixa per frequentem eleuationem, quousque in cucurbitula dura remaneat massa, quæ nolit ampliùs ascendere, sed remanet fixa. Aliter etiam potes eum fixare apto vase sub igne in fixatorio. Quod cùm habueris, tunc Aquilæ gluten dicitur, & corpus præparatum permanens, & volatile fixum: quod reseruandum venit pro terra Lapidis exuberata.

Solutio. 6. De prænominatis aliis partibus fac solutionem in balnei raritate, vel in frigido, aëreo, & humido loco, vti in cellario frigido, ita vt aër materiam nudam tangens, eam conuertat in aquam. Aliter etiam resoluitur, si ponatur in vesicam, quę suspendatur super vaporem balnei calidi. Aliter quoq; , si ponatur in manticam in loco frigido, quousque soluatur in aquam: quam benè serua in vase vitreo supposito.

Separatio, 7. Accipe aquam hoc modo factam, & per 9. dies benè digeratur in vase circulationis obturato. Tunc eam repone in cucurbitam, cui benè impastetur Alembicus, & in calido cinerum gradu, vel in balnei extremo distilla, & sic recipies Spiritum Lapidis albi.

Coniunctio, 8. Quem vt cum suo corpore coniungas, accipe Aquilæ glutinis, quantum volueris, & addatur ei æquale pondus sui Spiritus, & peroptimè lutentur ac claudantur in vitro putrefactionis. Et sic coniunxisti marem, & fœminam, Mercurium cum Terra propria, Spiritum cum suo Corpore.

Putrefactio in Sulphur. 9. Quibus sic dispositis, ponantur in ignem balnei, vt in eo putrescant per 150. dies, in quo immotum seruandum est vas vsque ad tempus præscriptum. Post 40. dies apparebit nigredo, caput corui dicta: tum multi medij colores, & falsi. Nam inter hos, & veram albedinem apparebit rubedo. Demum autem album videbis sulphur, quod calore balnei fortificato, asscendet instar oculorum piscium, & lateribus vasis adhærebit. Tum Terram habes in natura sulphuris. Et sic sulphur naturæ habes.

Solutio Sulphuris corporalis. 10. Sulphuris istius accipe, quantum volueris, & præcisè obserua eius pondus, & addantur ei partes duæ Spiritus sui siue tincturæ & colloca vas in balneo ad solutionem per sex dies. Posteà per Alembicum extrahatur iste spiritus, siuè tinctura, & sulphur in liquoris forma remanebit. Tunc enim est liquor sulphuris albi (seu Lapis) è solo

Mercu-

Mercurio. Qui coniungendus est cum liquore sulphuris Lunæ, seu argenti, nempè fermento albo, vt posteà hîc sequitur. Hæc est perfecta via componendi Lapidem è solo Mercurio. Nam Elixer nunquàm fieri potest sine additione fermenti ad album Lunæ, seu argenti; ad rubeum solis, siuè auri.

Sulphur Luminis albi est sulphur Lunæ, seu argenti (sicut prius dictum fuerit) & eâdem methodo soluitur veluti sulphur prius; de qua ampliùs dicetur in sequenti Ramo. Iste liquor sulphuris Lunæ est Anima, quæ Spiritui, & Corpori coniungitur, & dicitur fermentatio Lapidis in Elixer, quæ totum viuificat Lapidem. Prior, quæ precedebat, solummodò erat Spiritus, & Corporis coniunctio: sed hæc est ternaria copulatio, Animæ scilicet, Spiritus & Corporis vnio. Solutio sulphuris Luminis albi. 11.

Fermentatio Lapidis sic fit.

Quarta itaque pars huius liquoris Luminis albi adiungatur tribus partibus liquoris sulphuris albi è Mercurio, simulque in idoneo vase claudantur; quod peroptimè lutatum, seruetur posteà in lento cinerum calore, & desiccentur vsque ad albedinem antiquam: nam varij iterùm colores apparebunt, ac demùm albedo. Tunc est perfectus Lapis, nempè Elixer tingens, & conuertens omnia metalla in Lunam. Et sic fermentatur Lapis, & in Elixer album conuertitur. Fermẽtatio. 12.

Lapis ita compositus, multiplicandus est in virtute. Vt autem magis vno quoque tempore crescat, cum tinctura sua alba, siuè spiritu dissoluatur, & posteà abstrahatur, & Lapis iterùm desiccetur. Nam toties dissoluendus, & desiccãdus est, donec ampliùs desiccari nolit, sed maneat in oleo incombustibili; & tunc est Elixer tertij ordinis. Et sic multiplicatur in virtute. Multiplicatio in virtute. 13.

Multiplicatio eius in quantitate est per proiectionem hoc modo. Sumatur igitur pars vna huius Elixeris, & proijciatur super partes 100. vel 1000. (secundùm virtutem tui Elixeris) argenti præparati, ac fusi, & illud conuertet in massam frangibilem, & puluerizabilem. Quæ benè puluerizetur in mortario ferreo, seu æneo, vel super marmor. Proiice tunc huius pulueris pondus vnum super partes 100. Argenti viui purgati, & abluti, & erit Medicina perfecta: cuius pars vna conuertet partes 100. vel mille aliorum metallorum in argentum purum. Et hoc modo Medicina etiam multiplicatur in quantitate. Multiplicatio in quantitate. 14.

Corollarium.


Elixer vitę album, sivè Medicina alba.

Iam etiam habes Elixer vitæ album, ſeu Medicinam vitæ albam, vel Arg. potabile, curans & ſanans vertiginem, ſcotomiam, ſyncopen, epilepſiam, maniam, phreneſin, lepram albam, & menſtrua alba.

Cum iſto Elixere albo potes etiam componere vitrum ductile, & malleabile, ſicut, Deo volente, oſtendetur ad finem libri de Auro, & Argento potab. necnon perlas artificiales, ſicut in alio libro, eodem Numine fauente, iam prodituro demonſtrabitur.

Tabula

Tabula, sive Ramus arboris Philosophicæ de fermento albo. fig. 3.



Luna. Argentũ. SIc inquit pater Hermes: Elixer nil aliud eſt, niſi Mercurius, Sol, & Luna. Per Mercurium nihil aliud intelligit, niſi Sulphur naturæ, quod Mercurius Philoſophorum dicitur. Quod quidem ſulphur per putrefactionem erat genitum de coniunctione Spiritus, & Corporis imperfectorum corporum, ſiuè metallorum.

Per Solem intelligit aurum; per Lunam, argentum. Eorum vtrumq; coniungendum eſt corporibus imperfectorum metallorum, ſulphuribus albis, & rubeis.

Vnde idem Hermes Tractatu 7. de Sole ſic inquit: Ibi fit coniunctio duorum corporum, & eſt neceſſaria in noſtro Magiſterio, & ſi vnum iſtorum corporum tantùm non eſſet in noſtro Lapide, nunquam aliquo modo tincturam daret.

Vnde dicit Morienes: Nam fermentum ipſum corpus imperfectum præparat, & ad naturam ſuam conuertit; & non eſt niſi Sol, & Luna, aurum ſcilicet, & argentum.

De quibus Roſinus ait: Sol, & Luna præparata, nempè eorum ſulphura, ſunt fermenta metallorum in coloratione.

Sed à Raymundo in ſuo Apertorio multò lucidiùs ſic dicitur: Nullum aliud eſt fermentum, Sole, & Lunâ exceptis. Fermentum enim Lapidis ad album, eſt argentum, & ad rubeum, eſt aurum; Sicut Philoſophi demonſtrant. Quia ſine fermento non venit Sol, neque Luna, nec aliquid aliud, quod ſit ſui generis, aut naturæ. Coniunge itaque fermentum cum Sulphure ſuo, vt generare poterit ſuum ſimile. Quia fermentum trahit ſulphur ad ſuum colorem, & etiam ad ſuam naturam, & ad pondus, nec non ad ſaporem, & ſonum ſuum: quia quodlibet ſimile generat ſuum ſimile. Quia fermentum, vt Sol, tingit & mutat ſuum ſulphur in Medicinam permanentem, & penetrantem. Ideò dicit Philoſophus: Qui nouerit ſulphur, & Arg. viuum cum Sole & Luna tingere, ille peruenit ad maximum arcanum. Et propter hoc oportet, quòd Sol, & Luna ſint tinctura, & fermentum ipſius.

Et ita deinceps Arnoldus in Roſario: Et illud ideò; quia non eſt corpus dignius Sole, aut eius vmbra, ſcilicet Luna, ſine quibus nullum generatur Arg. viuum tingens. Qui verò ſine iſto auro, vel argento tingere nititur, cœcus procedit ad practicam, ſicut aſinus ad

cœ-

cœnam: Nam aurum, aureum; argentum, argenteum colorem tribuit. Qui ergo Arg. viuum cum Sole & Luna tingere nôuit, venit ad arcanum, quod dicitur ſulphur album, optimum, ad argentum; quod cùm rubeum efficitur, erit ſulphur rubeum, optimum ad aurum.

Accipienda eſt igitur Luna pura; id eſt, Argentum purum: melius eſt illuc, quod ex monetariorum probationibus colligitur; quod poſteà in folia verberetur vel limetur, aut cum Arg. viuo in calcem reducatur. Tunc enim Luna eſt ſufficienter præparata, vt calcinetur. Purificatio. 1.

Poſtquàm tale habes argentum tuum præparatum, accipe 4. aut ſex vncias eiuſdem, & impone in duplicem proportionem Aquæ noſtræ calcinatiuæ, nempe Lactis virginis, mixti cum æquali parte aquæ corroſiuæ communis (vel ſine ea, vti operanti placuerit) & in ea Aqua diſſolue tuum argentum in Ouo vitreo poſitum, donec in frigiditate ſoluerit, quantum potuerit. Tunc committe vas cum materia in ignem balnei, & ibi ſtet per 7. aut 9. dies, donec habueris totam tuam ſubſtantiam Lunæ diſſolutam in aquam coloris viridis. Tunc ſinito balneum frigeſcere, è quo vitrum ſumito, & euacua ſolutionem in cucurbitam, mox Alembicum ſuperponendo, & calore balnei eleua Aquam Solutiuam, donec eam diſtillatam videris à materia remanente; quæ erit oleum Lunæ calcinatæ, haud in calcem, ſed in liquorem. Quia Lac iſtud virginis, ſi componatur, ſicut nos nouimus, vel per ſe, aut admiſceatur cum aqua corroſiua communi, tàm efficax efficietur, vt adamas ei reſiſtere nequeat, quin ſoluatur. Dicitur itaque hæc aqua, ignis gehennæ, ſiuè Aqua calcinatiua: nam eſt vnicum mundi miraculum miraculorum, quòd tàm ignitam naturam, & proprietatem in ſe continet adurendi omnia corpora in liquorem, cum ignis elementaris vlteriùs non præualet, quàm in calces, aut cineres metalla reducere. Sed iam redeundum eſt, vt ad tertiam operationem veniamus. Calcinatio. 2.

Vt igitur perfectiùs adhùc ſoluatur iſta aqua, ſeu liquor Lunæ, & vt omnis aduſtionis imperfectio ab eo tollatur (quod ab antiquis reconfortatio perditæ humiditatis dicitur) repone hunc liquorem in alterum Ouum vitreatum, & ſuper eum effunde tantum de ſpiritu vini, quantum eum ſubmerget 4. digitos. Tum vas benè obturetur, & ad digerendum in balneo collocetur per 7. aut 10. dies, donec Solutio. 3.

 oleum

oleum, vel liquorem conuersum inveneris in tenuissimam, & raram aquam oleaginosam. Euacua aquam in distillatorium, & abstrahe spiritum vini ab ea in calido balnei gradu, ita vt nihil de spiritu vini cum solutione argenti remaneat; & sic habebis Lunam sufficienter præparatam ad putrefactionem.

Putrefactio, 4. Dispone itaque hanc aquam in vas putrefactioni aptum, quod peroptimè sigilletur. Quo facto, procede ad putrefaciendum in balneo medij caloris donec dies putrefactionis prætererint, nempè 150. & cùm primum inveneris putredinis signum, quod caput corui appellatur, auge aliquantisper ignis gradum, donec omnes, vti antè dictum fuerit, apparuerint colores, & inceptam videris albedinem.

Sulphur Luminis albi, 5. Dealbata hac materia, si demùm exaugeas balnei calorem, exaltabitur candidissima massa subleuata, laterib. vasis adhęrens, & in forma lucens, vt oculi piscium. Quæ sulphur est naturæ, siuè sal, & depuratū Luminis albi, nempè Lunæ, corpus. Quod tamen nō est tàm durum, vti corpus; nec tàm molle, sicut spiritus, sed quiddam existens mediæ duritiei, & naturæ inter spiritum, & corpus, quod dicitur Mercurius philosophorum, & clauis, ac medium coniungendi tincturas.


Liquor Luminis albi. 6. Iam, vt perueniam ad liquorem Luminis albi in priori Ramo promissum, sulphur hoc in quintum corpus redactum, eodem soluatur modo, sicut prædictum soluebatur. Sed vbi illud virtute suæ tincturæ fit; nos istud fieri volumus virtute ignis naturalis, nempè spiritus vini, vt post eius abstractionem in liquore remaneat.

Fermentū album fatuor. Nunc iste liquor Luminis albi est Fermentum album, & Anima, vti ait Eximidius, totum viuificans Lapidem, sine qua mortuus esset, & inutilis remaneret Lapis, nec formam daret, nec tingeret.

Reliquum huius antedicti Sulphuris soluti reserua diligenter, vt cum eo fermententur reliqua imperfectorum corporum sulphura alba soluta, siue Lapides in Elixera. Quæ cùm ter soluuntur, & iterùm coagulantur, ac in liquida remanent substantia, olea nominantur incombustibilia, & tertij ordinis Elixera.

Tabula

Tabula, ſive Ramus Arboris Philoſophicæ de Accuratione Elixeri rubei è ſolo Mercurio.



Mercurius. Arg. viuum.

LApide albo hoc modo peracto, remanet iam, vt modus nunc exeat rubei conficiendi Elixeris de eodem Mercurio. Cuius duo ſunt proceſſus; quorum primus incipit à radice, & eſt via longa, quam relinquere decreuimus propter quaſdam rationes nobis optimè cognitas, & perſpectas. Alter ab accurtatione oritur, quæ via eſt multò breuior, & excellentior. Nam illo modo Elixer fieri poteſt in 80. diebus, & excedit omnes accurtationes cæteras; nec in ea reperitur aliqua virtutis diminutio, ſed eſt plena, & perfecta plenitudo poteſtatis, & virtutis, totas habens proprietates, quas Elixer habere debet. Cuius proceſſum Ramus iſte præcedens, & Tabula ſequens planiſſimè edocebunt,

Quanquàm enim Raymundo placuit ſcribenti Regi Ruperto dicere, quòd omnis accurtatio eſt diminuens à perfectione; quoniam Medicinæ, quæ per accurtationem fiunt, minorem tranſmutationis effectum habent (quod mihi etiam verum eſſe cenſetur, ſi à primis fontibus opus eſſet inceptum) attamen quia iſtud opus ab eis incipit, quæ in perfectum perfectionis gradum ſunt anteà reducta, ideò in hac accurtatione nulla eſt perfectionis diminutio, ſed potiùs augmentatio, ſicut ipſemet teſtatur Raymundus libro Mercuriorum, pag. 103. vbi ſic inquit:

Ideò tibi ſit oſtenſum, quod ſi ambo ſimul ſint benè præparata, & de eis inceperis, opus mirabile ſine grauitate magna facies citiùs, quàm ſi de vno ſolo faceres. Ergò, fili opus tuum incipe de duobus ſimul, prout in maiore Lapide tibi diximus, & intellectu, quem tibi diximus de duplici cuſtodia actionum, quæ à corporibus, & ſpiritu cauſantur.

Per illud verò, quod à corporibus, & ſpiritu cauſatur, nihil aliud intelligi voluit, niſi ſulphur naturæ, volens, vt à ſulphure opus inciperetur. Cui nos tam æquè aſſentimur, vt hanc noſtram accurtationem à ſulphure ſolo ortam eſſe volumus; nec vllum aliud huic Elixeri corpus adiicimus, niſi ſolummodò ſolius Mercurij ſulphur, ab eius proprio corpore, & ſpiritu creatum.

Sulphuris albi rubificatio.

Accipe itaq; duas, aut tres vncias ſulphuris albi in prima Tabula iſtius operis tibi oſtenſi, quas ad rubefaciendum ponito in igne cinerum, & in 30. dierum ſpatio in rubeum conuertentur ſulphur.


Poſteà

Posteà dissolue illud sulphur cum tinctura sua rubea (si eam componere nôris) & in vitri fundo liquor sulphuris rubei remanebit: qui tunc est Lapis rubeus è solo Mercurio. Sulphuris rubei liquor. 2.

Cui si adiunxeris debitam proportionem, nempè quartam, fermenti rubei, seu liquoris sulphuris Luminis rubei, erit perfectè fermentatus in Elixer rubeum. Fermẽtatio. 3.

Posteà, si sic fermentatum tractaueris soluendo cum sua tinctura, & coagulando, sicut anteà de prædicto ostenditur, tum erit Elixer permagnæ virtutis ad opus rubeum. Elixer rubeum. 4.

Non viuit quisquam, qui vllam in mundo breuiorem accurtationem facere potest: cùm etiam sulphur vllius corporis præparatur, eodem modo per additionem liquoris fermenti breuiter in Elixer conuerti potest.


Tabula, sivè ramus Arboris Philoso-phicæ de fermento rubeo.
fig. 5.
Fermentum rubeum.
Sulphur luminis. rubej
5.
Liquor sulphuris luminis rubej
6
Putrefactio
4
Solutio.
3
Calcinatio.
2
Purificatio auri.
Sol Aurum.
Scutum Colorum.
Colores duo.

Quæ

QVæ in præfatione Tabulæ, seu Rami de fermento albo priùs di-ctà fuerint, huc etiam transferantur; quoniam vtrique Ramo æquè inseruiunt. Sol. Aurum.

Accipiendus est itaq; Sol purus, id est, aurum purum, cuius purificatio, siuè purgatio est, vt more aurifabrorum cum Antimonio fundatur, donec in fundo maneat corpus auri fusum, clarum, & à cæterorum metallorum peioritate depuratum & depriuatum; quod ab urifabris Rex dicitur. Purificatio. 1.

Recipe vncias quatuor, aut quinque huius depurati auri in folia redacti, vel limati, & calcinari facito in Aquæ nostræ calcinatiuæ duplici proportione, nempè Lactis virginis mixti cum æquali quantitate aquæ corrosiuæ, in qua sal armoniacus sublimatus dissolutus fuerit. Cùm totum tuum aurum solutum videris in liquorem rubeum, tunc est perfectè calcinatum; sed nota, quòd priùs est in balneo ferandum trium, aut quatuor dierum spatio, & sic erit perfectè calcinatum. Calcinatio. 2.

Solutio, quæ est tertia operatio; & putrefactio, quæ est quarta, pari modo fiant, sicut in fermenti albi præparatione. Solummodò enim differt iste Ramus fermentalis ab altero in creatione sulphuris. Nam sicut habendum est sulphur album ad deaptandum, & formandum opus album; sic pariter creandum est sulphur rubeum ad opus rubeum. Solutio. 3 Putrefactio. 4.

Cum itaque habueris sulphur auri album, lateribus vasis adhærens in perfecta forma albedinis prædictæ, vase infrigidato, remoue vitrum, & colloca in gradu caliditatis cinerum, calorem paulatim exaugendo: sed caue nè nimio calore festines, nevè materia sit vitrificata, nec sit calor amplior, quàm benè possis vitrum in manibus tenere, & sic continuetur calor, donec sulphur sit perfecti, & profundi rubei coloris; & sic habebis sulphur rubeum Luminis rubei. Sulphur Luminis rubei. 5.

Sulphur istud rubeum si soluatur in spiritu vini, aut aceto distillato in oleum, est tunc liquor Luminis rubei, & quodammodò Aurum potab: sanans omnes infirmitates, si ab eo distilletur spiritus vini, vel acetum. Liquor Luminis rubri. 6.

Sed in hoc nostro opere potiùs soluendum erit cum rubea Mercurij tinctura (quam nos componere benè nouimus, sed non sine vitę

discrimine,& periculo, nisi operator fuerit valdè cautus) quæ posteà per Alembicum auferenda est in facie cinerum,& sic sulphur in oleo relictum,est omnium Lapidum fermentum ad opus rubeum.

Fermentum rubeum.

Augmentatio Elixeris rubei in virtute est cum sua tinctura rubea. Augmentatio eius in quantitate est per proiectionem super corpus auri purgati, & fusi, sicut in priore Elixere albo super corpus argenti. Et materia auri frangibilis Elixer est super Arg. viuum, & si pulverizetur, & in spiritu vini dissoluatur in oleum est tunc auri quinta essentia, & Elixer vitæ magnum, seu Aurum potabile, & spirituale fermentum ad transmutandum metalla, & ad sanitatem corporis humani.

F I N I S.

